

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Prot. n. 970/69 CG**

N

*Nullitatis matrimonii*

(X – Y)

Die 6 iunii 1970

In Congressu habito coram Em.mo Cardinali Praefecto, proposito recursu partis conventae in causa de qua supra adversus sententiam a S.R.Rotam die 12 maii 1969 latam, quo nempe proponitur querela nullitatis adversus praefatam sententiam rotalem vel, subordinate, petitur nova causae propositio,

**decretum est:**

Recursum circa querelam nullitatis reiciendum esse utpote fundamenti destitutum;

1. concedendam esse novam causae propositionem.

I. M. PINNA, *Secretarius*

A. GAGLIARDUCCI, *Notarius*

**Animadversiones Defensoris vinculi**

Perlectis actis causa de qua supra atque sententia rotali definitiva:

Accurate perpensis tum memoriali pro parte conventa recurrente necnon memoriali suppletivo, tum animadversionibus Patroni partis actricis resistentis contra recursum;

Attento art. 19 Normarum Specialium H.S.Tribunalis;

1. Querela nullitatis contra sententiam rotalem firmo fundamento inniti non videtur.
2. Attamen recursus non carere videtur validis rationibus pro nova causae propositione, nempe quo omnes testes a parte conventa recurrente producti excutiantur, atque vera et plena exquiratur instituaturque certitudo circa statum mentalem actoris tempore initi matrimonii. Nam in dubio standum est pro valore matrimonii (c. 1014).

Die 9.5.1970

E. EID,  
*Defensor vinculi*